



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXVII. De Medico, ejusque obligatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXVII.

De Medico, ejusque obligatione.

Galenus Medicus quàm negligens est in visitandis ægris pauperibus non valentibus solvere, tam diligens est in invisendis, & curandis divitibus, & opulentis: Hinc vocatus ad Sabinam viduam prædivitem illicò comparet, ægramque invifit, sed morbum adeò auctum, & periculofum deprehendit, ut intra breve tempus fabinam extinguendam meritò judicet, cui tamen, ne pavore percellat nihil de morte cogitantem, & morbum augeat, periculum non manifestat, sed potius spem facit salutis. Nihilominus medicinas præfcribit, & medicamenta adhibet varia, & etiam dubia, licèt fciat parùm, vel nihil profutura.

QUÆR. I. An Medicus, quando de ægri salute desperatum est, nec fuppetit remedium certius, applicare poffit medicinam incertam, & dubiam, an falfutaris, anue noxia futura fit?

QUÆR. II. An, & quomodo peccet Medicus, fi ægrum periculofè decumbentem non moneat de instante mortis periculo?

QUÆR. III. An peccet Medicus recusans ægros pauperes invifere, & curare, non valentes folvere falarium?

160 **A**D I. Q. censent non pauci cum Abb. in *C. tua nos de homicid. n. 4.* Sylvest. *V. Medicus, q. 4.* Salas *tr. 8. D. un. Sect. 14.* Angel. *V. Medicus n. 2.* Azor. *l. 1. inst. moral. cap. 17. q. 11.* Vasq. *D. 64. c. 4. n. 22.* aliisque cum & apud Palaum *tr. 1. D. 2. p. 9.* Medicum non poffe licitè in tali casu id remedium dubium ægro desperato applicare. Moventur, quia fi tale dubium remedium non applicetur, mors infirmi subfecuta non imputabitur culpæ Medici, sed violentiæ morbi tribuetur; fi verò applicetur, vita ægri periculo exponitur, qui fortè, eo non applicato restitueretur sanitati, vel saltem diutiùs viveret; atque adeò Medicus applicans talem medicinam incertam,

certam, & dubiam, quantum est de se, applicat causam efficientem mortis, quod utique illicitum est.

161 Contrarium tamen probabilius docent Valent. 2. 2. d. 2. q. 10. p. 2. Sanch. l. 1. c. 9. n. 39. Arriag. D. 24. n. 25. Laym. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 15. Bonac. D. 2. q. 4. p. 9. n. 23. Clavis Reg. n. 9. Reginald. n. 99. Adrian. de sacram. Confess. 9. de correct. fratern. alique arbitrantes posse Medicum in tali casu tale medium dubium, & incertum licite adhibere, & applicare tali infirmo: imò Sanch. & Bonac. l. c. non solum id Medico licere affirmant, sed etiam eum obligari ad tale medium applicandum. Rationem dant; quia, cum vita infirmi sit desperata, Medicus in eo casu prudentius agit, & negotium infirmi utilius gerit, tale medium applicando, quam non applicando: nam applicando fieri potest, ut infirmus virtute talis medicinæ à morte liberetur; non applicando verò relinquit infirmum in statu desperatæ salutis: Quod si mors sequatur, ea non est tali remedio imputanda, cum id sequatur præter applicantis voluntatem, & aliàs eo remedio non applicato, æger moriturus erat:

Unde tutius est applicare tale remedium, quod licet non careat periculo accelerandæ mortis, est tamen conjunctum cum probabili a-

liqua spe conferendæ salutis, sicque minus inde periculum nocu- menti habetur, & majus fundamen- tum emolumentum.

¶ Cæterum cum hinc agatur de vita, & periculo corporis, debet Medi- cus securiorem viam ingredi, a- deoque sententias sequi certas, & securas, rejectis incertis, & du- biis; quòd si certa curatio non oc- currat, tenetur sectari ea, quæ probabiliora judicat, posthabitis opinionibus minus probabilibus, quia & Medici officium, & lex cha- ritatis postulat, ut ea adhibeantur remedia, quæ ad propositum sani- tatis finem magis idonea sunt, & profutura: quin imo et justitia, quia Medicus ratione pacti saltem impliciti, quod in susceptione sui officii subit, & Reipub. adstringi- tur, procurare debet sanita- tem alterius meliori modo, quo potest, præsertim cum sanitas res sit maximi momenti, & vita semel perditæ reparari nequeat.

Ad 2. Q. Medicum per se lo- 162
quendo graviter delinquere, si æ-
grum periculosè decumbentem per
se, vel per alios de instante mor-
tis periculo, quod prævidet, non
moneat, non immerito censent S.
Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. Sanch. l. 3.
c. 16. Navar. c. 25. Graff. l. 3.
c. 17. Angel. n. 12. Tabien. V.
medicina, q. 14. Beja, alique. Ra-
tio est, quia non monendo non lo-
lum

lūm agit contra præceptum charitatis in re gravi, & in magnum proximi detrimentum spirituale, imò & temporale, si æger non disponat de rebus suis, & inde probabiliter oriantur lites & discordiæ inter hæredes, vel alios: Verùm etiam contravenit præcepto Ecclesiastico, eam monitionem præcipienti, ac postulanti, *C. cum infirmitas 13. de penit. & remiss.* ubi Innoc. III. districtè præcipit Medicis, ut ad medendum infirmo vocati, ante omnia moneant, & inducant illum, ut confiteatur, & de rebus suis tempestivè disponat, & transgressoribus, seu secus facientibus gravem pœnam imponit, nempe ut ab Ecclesiæ ingressu arceantur. Quod Decretum innovavit Pius V. in quodam motu proprio, edito ann. 1566. illudque aliis quoque subjunctis pœnis firmavit. Hoc tamen limitant D. Ant. Sanch. Navar. Sylvest. aliique citati, & Medicum à gravi culpa excusant, si alius certiore fecit ægrum de hoc periculo, vel si ipse moraliter certus sit, fore, ut ea monitio parum, vel nihil prosit: eo quòd moraliter credat, ægrum in bono esse statu, ac benè dispositum ad mortem, & jam de rebus suis disposuisse; quamvis melius utique sit, etiam tunc admonere, quia omnes frequentissimè melius ad mortem preparantur, conscii mortis periculi.

Ad 3. Q. affirmativè respondent D. Anton. 3. p. tit. 7. c. 1. §. 1. Eman. Sà V. Medicus. Graff. l. c. Gratian. d. 83. §. ad providendum, Navar. Beja, & alii obligantes Medicum ex præcepto charitatis ad succurrendum ægris pauperibus non valentibus solvere salarium. Rationem reddit Gloss. in *C. si quis 1. dist. 83. v. inferas*, ubi Medicus, inquit, gratis tenetur curare pauperem infirmum, quia plus debet valere apud eum vita illius, quàm propria pecunia: Unde S. Ambros. in *can. Medicina 76. de penit. d. 1. v. valis*, inquit, pecunia, sed pretiosa est misericordia; S. Anton. verò l. c. ait: pauperibus non valentibus solvere, gratis Medicus mederi debet, & non se ab eorum cura subtrahere, quia hoc esset indirectè occidere; mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cum potest, non excludit: Rursus post alia, infirmis, inquit, non valentibus solvere tenetur gratis mederi, quin imò & medicinas pro eis solvere, si valeat, & ipsi infirmi non possint; non autem tenetur omnibus infirmis pauperibus simpliciter, & indistinctè providere, sed pro loco, & tempore sibi occurrentibus, prout dicitur de aliis operibus misericordiæ. Unde id rectè Navar. l. c. restringit ad casum, quo Medicus credit infirmum moriturum, nisi ei medeatur, nec alius est, qui id præstet, nec qui solvat salarium.